UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

**Paoletti, Agostino**

**Coloniae Agrippinae, 1677**

Feria III. post Dominicam I. Quadragesimæ. 6. Deus malis Leo est, & Agnus bonis, quia cum illis atrociter, cum his perbenignè procedet.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

# SERMO SEXTUS.

# FERIA TERTIA POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

*Intravit JESUS templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit: Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi, & ſanavit eos.* Matth. cap. 21.

1. QUales fuerint Verbi æterni conditiones, quando exuviis mortalitatis noſtræ veſtitus, *In terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*, Baruch 3. expreſsè ex eo cōjici poteſt, quod ſcribunt Doctores Eccleſiaſtici, & ex Hiſtoriis, quæ ex ſacræ Scripturæ annalibus exaratæ inveniuntur. Antiqui etenim, ſi Lucio Floro lib. 1. c. 2. fidem adhibemus, Salvatorem ſub duplici facie depingere ſolebant, duplicem quoque ei vultum Scripturæ ſacræ attribuunt, Leonis nimirum & Agni. S. Joannes illum nobis ſub forma Leonis exhibet: *Vicit Leo de tribu Juda*, Apoc. 5. & Jerem. 4. c. ſimiliter, dum ait: *Aſcendit Leo de cubili ſuo*, cujus equidem multæ in medium adduci rationes poterunt. Porro Ariſtoteles 1. de hiſt. anim. c. 1. in fine ait, quòd *Leo ſit liberalis, fortis & nobilis.* Unde Antiqui in ſuis illum picturis delineabant, veluti Dracones dilacerantem: *Draconem unguibus lacerat:* Sæculis ſuperioribus leo commune erat vigilantiæ ſymbolum; atque ideo, ut ſcribunt Pierius Valerianus lib. 1. & Cælius Rhodiginius lib. 13. c. 1. c. 8. olim habebant conſuetudinem, quod leones, ſive ex lapide ſculptos, aut ex ære fuſos, in introitu templi collocare ſolebant: *Templorum clauſtris leonem ſymbolicè appingebant.* Trajanus Imperator in monetis ſuis caput leonis, unà cum clava Herculis exprimebat, *ad ſignandum, Imperatorem eſſe leonem, ſed debere obtemperare doctrinæ & rationi, quæ per clavam, qua Hercules monſtra domabat, intelligitur.* Quæ qualitates omnes, quibuſcunque ab illis ſublatis imperfectionibus, Deo quoq; noſtro incarnato attribui poſſunt. Quis verò inſuper etiam ignorat, generoſum hoc animal expreſſum eſſe ferocitatis hieroglyphicum, quà oculorum ſuorum fulmine terret, & rugituum ſuorum tonitru trepidare facit; unde David de perſecutionibus, quas Saul ei machinabatur, loquens, eaſdem aptiùs non ſciebat exprimere, quàm adhibitâ leonis ſimilitudine: *Suſceperunt me, ſicut leo paratus ad prædam*; Et alibi quoque ait: *Salva me Domine ex ore leonis.* Pſal. 16. Jeremias quoque Nabuchodonoſoris adverſus Jeroſolymam exercitam crudelitatem inſinuare volens, leonis metaphoram uſurpat, dicens: *Percuſſit leo de ſilva.* Jerem. 5. Unde Æſchylus civibus ſuis in Republica ſua leones nutrire prohibuit: *Leonum catulum aſſeruit non eſſe in Republica nutriendum, ſed ex ea ſeparandum* Cur etiam Agamemnon eundem in ſcuto ſuo exſculptum deferebat, niſi *ut terreret hoſtem?* utpote qui *timorem incutit?* ut obſervat Rich. Brixienſis c. 1. Hic igitur leo Chriſtum repræſentat.

*Hect. Pint. in Ezech. cap. 32.*

*Andr. Alciat. embl. 57.*

2. Deinde verò Joannes Baptiſta illum dexterâ ſuâ demonſtrare volens, ipſum in vultu placido atque manſueto nobis exhibuit, nimirum ſub ſimplicis & innocentis agnelli myſtico vultu: *Ecce Agnus Dei* Joan. 1. Et alibi idem Evangeliſta ait: *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt.* Agnus quidem, quia *tanquam agnus ad occiſionem miſſus eſt.* Agnus ſimiliter, quia *peccatū non fecit, nec inventus eſt dolus in lingua*

*Joan. 1.*

*Apoc. 5.*

 ejus;

*ejus*; Jerem. 11. Denique tanquam agnus ab Iſaia deſideratus fuit, dicente: *Emitte Agnum Domine de petra deſerti.* Iſa. 16 *Agnus Dei*, inquit Theodoretus in Cat. D Thom. in c. 1. Jo. *In quantum eum Pater æternus pro nobis tradidit morti.* Et S. Auguſtin. ibid. ait: *Dicitur agnus ſolus ſine macula, ſine peccato: ſingulariter hic eſt Agnus Dei, quia ſingulariter hujus Agni ſanguine ſolo homines redimi potuerunt; hic eſt Agnus, quem lupi timent, qui leonem occiſus occidit.* Et Vener. Beda ibid. ait: *Ideo Agnum vocat, quia dona ſui velleris ſponte largiturum, ex quo veſtem nobis nuptialem facere poſſimus.*

3. Verùm inquies fortaſſe, quænam eſt hæc diverſitas, quòd idemmet Chriſtus repræſentetur ſub metaphora duorum animalium, adeò inter ſe diſcrepantium? Si enim antea Leo erat, quomodo poſtea factus eſt Agnus? Si manſuetus, quomodo ferox erit? Unum horum animalium naturâ ſuâ iracundum eſt; alterum verò placidum & manſuetum; quomodo autem duæ proprietates contrariæ *ſimul & ſemel* de uno eodemque ſubjecto verificari potuerunt? [Manſuetudo opponitur iræ, & intendit iras reprimere, (inquit Ægidius Columna de Reg. prin. p. 2. l. 1. cap. 27) ex conſequenti autem opponitur iraſcibilitati, & intendit eam moderari, quod ipſum nomen deſignat; ſi enim vim nominis conſideremus, manſuetudo nominat temperantiam iræ.] Et tamen his non obſtantibus, duæ hæ metaphoricæ Agni & Leonis ſimilitudines, uni & eidem Salvatori noſtro ſine contradictione etiam adſcribuntur, ſed *reſpectu diverſorum*; ſiquidem erga peccatores terribilem ſe leonem exhibet, qui voce illos terrefacit, miniſque & ſuppliciis trepidare facit, ut emendentur: *Ejiciebat omnes vendentes & ementes de templo:* Circa bonos autem manſuetudine utitur, Agnelli vultum iis exhibendo, id eſt, gratias illis & beneficia diſpenſando: *Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi, & ſanabat omnes* Adeò ut cum Maximino Imperatore dicere poſſit: *In opportunitate utrumque*; Erga peccatores enim Leonem induere, & rigido modo procedere oportet: ſecus enim aſino caput lavabis; cum Juſtis verò agnino modo agendum eſt, & hoc ſuffi-

*Phil. Diez p. 3. fer. 2. Dom. 4,* cit. [Ergo bonis eſt Agnus, in peccatores verò & protervos eſt Leo ferociſſimus. Vos interim obſecro & obteſtor, imitatores Agni eſtote, qui (coram tondente ſe obmutuit; & non aperuit os ſuum.)

4. Duo potiſſimùm peccatorum genera reperiuntur, ut docet S. Vincentius Ferrerius; alii namque ſunt, qui ex propria malitia peccant, & cor iniquitati confœderatum ſemper habent, & cum talibus benignè procedere, eſt fruſtra, & ſine ulla ſpe fructus laborare; quiſquis enim cum talibus ſuaviter agit, *oleum & operam perdit.* Rigorem talibus exhibere, comminari ſupplicia, flagellis illos impugnare oportet: (Qui peccat ex malitia propria, & iniquitate cordis, tales indigent timore damnationis, & timore judicii ad amovendum malitiam & iniquitatem à corde. Ex horum numero Pharao fuit, de quo Deus Moyſi ait: *Induratum eſt cor Pharaonis*; quibus proinde muſcas, ranas, ciniphes, aquas in ſanguinem converſas, animalium mortes, horribiles denſaſque tenebras adhibere oportet; tametſi & hæc omnia ſæpenumerò caſſo & irrito prorſus effectu adhibeantur. Aliud eſt peccatorum genus, qui vel per ſimplicitatem, vel per fragilitatem, aut denique per ignorantiam; vel etiam licèt per malitiam peccent, errorem quem committunt, probè ſatis cognoſcentes, iniquitatem tamen in corde ſuo radicatam minimè habent: & optimè facies, ſi cum his placidè, benevolè & manſuetè proceſſeris, nunc perſuadendo, nunc exhortando, nunc promittendo; Horum numero Rex David accenſeri poteſt, quocum agens Nathan parabolam, promiſſiones, & præmia adhibuit, dicens: *Si hæc parva tibi videntur, adjiciam tibi multò majora*, 2. Reg. 12. qui proinde intentum ſuum pro cordis ſui voto feliciter eſt aſſecutus. Si quercum aliquam ſublatam velis, ferro opus eſt & igne: quòd ſi verò tibi hortum ingredienti curioſitas perſuaſerit, ut hunc florem vel herbulam evellas, duos duntaxat digitos applicabis. Ac proinde, quia in antiqua lege præcipuè agebatur de gente peſſima, à vitiis ad virtutes reducenda, nil aliud, quàm Prophetarum audiuntur comminationes: Sic Iſaias c. 1. & 10 ait: *Væ genti peccatrici: Væ Aſſur virga furoris mei.* Jeremias: *Væ tibi Jeruſalem, væ Paſtoribus.* Jerem. 4. Ezechiel: *Væ Prophetis inſipientibus; væ civitati ſanguinum* Ezech. 13. Oſeas: *Væ eis, quoniam receſſerunt à me.* Oſeæ 7. Amos: *Væ qui vobis opulenti eſtis.* Amos 6. Michæas: *Væ, qui cogita-*

tis

nis inutile Mich. 1. Abacuc: *Væ qui congregat avaritiam malam domi ſuæ.* Habacuc 2. Sophonias: *Væ provocatrix & redempta civitas columba*: Sophon. 3. at vero in lege Evangelica, eò quod cum gente docili & facili Deo negotium ſit, ideo Chriſtus & Apoſtoli benignè & manſvetè cum hominibus proceſſerunt. Etenim illos perſæpè quidem etiam reprehenderunt, ſed amore mediante, perſvadebant obſecrando & exhortabantur in omni patientia & doctrina. *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*; dicebat Apoſtolus Timotheo 2, Tim. 4. Et ad Corinthios ſcribens ait: *Obſecro vos per manſvetudinem* 2. Cor 10. S. Jacobus ait: *In manſvetudine ſuſcipite inſitum Verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Jac. 1. Et S. Petrus: *Miniſtrate in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem.* 2. Petr. 1. Bonis igitur Deus noſter manſvetum ſe agnum exhibet: malis autem rugientem Leonem ſe eſſe commonſtrat. *Væ, væ, væ* Vnde S. Ambroſius in cap. 19 Luc *Alii ſunt terrores prophetici, aliæ Apoſtolicæ ſuaſiones* Iſaias propheta Filii Dei in hunc mundum adventum prævidens, qualiter ſcilicet ex Virgineo Mariæ Virginis utero incarnandus, noſtræque humanitatis amictu induendus eſſet, ipſum veluti virgam quandam in hunc mundum comparitururum eſſe dicit: *Egredietur virga de radice Ieſſe* Iſa. 11 vel ut Pagninus legit: *Egredietur virga de ſemine Iſai, & ramus de radicibus creſcat*, quibus verbis intendit dicere, quod ex una eademque radice, id eſt, Chriſto Salvatore noſtro, virga pariter & ramus progerminabunt. Scimus quidem Prophetam hoc loco per metaphoram adhibitam loqui, veruntamen nondum penetrare valeo, quidnam tam per virgam quam per ramum intelligi velit. S. Cyrillus Archiepiſcopus Alexandrinus dicit, quod ( Per virgam eum regiam dignitatem habere ſubindicari videatur ] Dicitur quoque ramus floridus, vel flos è ramo enatus [ quoniam flos hominis natura in illo ad incorruptionem & ad vitam, & ad novitatem converſationis Evangelicæ floruit. ] Hanc quidem rationem bonam eſſe fateor, noſtro tamen propoſito aptior eſt, quam adfert ſanctus Auguſtinus, quam paulò pòſt, ſi euſque patienter præſtolari dignabimini, auſcultabitis, poſtquam nimirum vos difficultatis cujuſdam in ſacra

D Cirill. Alex. l. 1. in Iſa.

Scriptura, fundatæ reddidero participes. Deus Moyſi Iſraelitici exercitus Generali Duci legem dedit in monte Sinai, ut à populo illo rectæ rationis naturalem legem inordinatè obſervante, cum omni diligentia & induſtria obſervaretur, Exod. 20. Hæc autem Lex à Deo inter medias flammas conſiſtente nata fuit: *Deſcendit Dominus ſuper montem in igne.* Exod. 19. Imò in Deuteronomio inſuper eadem Lex, ignea appellata fuit: *In dextera eius ignea Lex.* Deut. 33. Quis unquam legem aliquam igneam appellari audivit? Quænam eſt Dei intra flammas ſubſiſtentis & legis alicuius ex igne compoſitæ inter ſe cognatio? quod in tabulis Sapphyrinis cærulei coloris deſcripta fuerit, tranſeat; hoc enim, ut Brixienſis obſervat, nobis innuit, legem hanc cœlitus datam fuiſſe, ſuamque è cœlo trahere originem, Quod duæ tabulæ fuerint, omni quoque idipſum difficultate caret; ſiquidem [ ſignificabat populi unitatem dividendam fuiſſe in duas partes, quarum una eſſet Deo ſervitura, & altera illi rebellis ) inquit Scriptor quidam: at vero Lex ignea? quænam ſub ea latent myſteria? Reſponſionem Franciſci Georgii Veneti tomo ſecundo ſectione prima & Philonis Hebræi lib. de Decal. audite & obſtupeſcite; Hic quærit: Cur lex ignea dicitur ) Et reſpondet: [ quia eſt veluti ignis ardens & ſplendens: ] Alter vero ſubjungit [ quia ignis vim habet urendi & illuminandi. ) Deus itaque ſignificare volebat legem ſuam ignis proprietatem in ſe exprimere: Bonis namque luminis loco inſerviet, ut per virtutis viam ambulare poſſint: Erga malos autem, ubi illam prævaricaturi eſſent, vim & virtutem comburendi, id eſt, rigidè & ſeverè caſtigandi exſeret. Verum, inquies, cur non potiùs peccatoribus pro lumine valeat, ut nimirum hi transgreſſiones ſuas earumque turpitudinem & indecentem melius & perſpicacius cognoſcere poſſint: apud bonos autem ignis virtutem habeat, ut hi ſcintillantes & rutilantes pœnarum & ſuppliciorum flammas ob oculos habentes, timore ac tremore percellantur! Nequaquam, inquit Philo. ſed prorſus contrario modo fieri debet, Cum malis namque per illuminationes procedere efficiendo ut commiſſorum errorum gravitatem cognoſcant, nihil

*Franciſc. Rl. Brix. t. 1.*

*Petrus Bongus Ca. de duo l. t. te.*

eſt

eſt aliud quàm oleum & operam perdere; quia ſupplicia, ignium ardores, fulmina & Inferni ad illos convertendos requiruntur: Hominibus vero in timore Dei viventibus, ſi fortè aliquando divinas leges, ſive per ignorantiam, ſive per humanam fragilitatem transgrediantur, ſufficiet, ſi eorum mentes illuminentur, ut commiſſam culpam valeat agnoſcere. Audite Philonem hac de re opportunè loquentem: *Rerum moderator ſapientiſſimus æquè ac præſtantiſſimus, indicare voluit, futurum ut lucidiſſimum & iucundiſſimum lumen eſſet probis lex divinitus data, eademque improbis ac facinoroſis incendium, ſi eam violare atque infringere non dubitarent.* O quam pulchrum igitur nexum Iſaias Propheta nos videre facit, quo ſimul copulantur virga & ramus è radice Jeſſe, id eſt è Chriſto Redemptore noſtro, qui virga ſimul & ramus eſt *Egredietur virga de radice Ieſſe, & ramus de radicibus eius creſcet.* Virga quidem eſt ut in timore coerceat malos, eoſque tremere faciet. virga inquam eſt, dum opus eſt, cum rigore flagellare peccatores, ut ſi poſſibile eſt, ſeſe deinceps emendent: Eſt etiam ramus ſivè floridus gratiarum ſive fructifer beneficiorum erga bonos: *Sic ergo* [inquit Auguſtinus ſer. 99. de temp.] *qui verberibus indiget, exit ad eum in virga, qui autem proficit ad iuſtitiam aſcèndit ei in florem.*

*Philo ut ſup.*

5. Nunc videamus, an in ſacra Scriptura prophetiam hanc adimpletam eſſe invenire poſſimus. Cùm Chriſtus Dominus noſter ultimæ Cœna accumbens, Judam perverſum eſſe ſciret, utpote qui eum in manus inimicorum ſuorum tradere meditabatur, ut gravi huic delicto quod moliebatur occurreret, & impius ille traditor reſipiſceret, ea illi auxilia impertiri non prætermiſit, quæ ad eum ab hoc malo divertendum ſufficere poterant, cumque manifeſtare caveat genericè hunc in modum ferè locutus eſt, dicens: O quam vehementer mihi diſplicet, ô amantiſſimi diſcipuli mei, quod unus ex vobis ſummam mihi repenſurus ſit ingratitudinem, & ex Apoſtolo in Apoſtatam ſit pervertendus. Etenim unum ex vobis hic præſentibus video, qui viam perditionis ingreditur, jamque eſt in manibus & poteſtate Diaboli conſtitutus, facta nimirum reſolutione efficacique propoſito me propter intereſſe monetæ vendendi & tradendi, qua iniquitate vix alia inveniri major poteſt; verum is de quo loquor, nullatenus dubitet futurum eſſe, ut denarius, quem recepit, ei detur in laqueum, & humanitatis meæ divenditus ſangvis illi vertatur in atramentum, quo cum traditor ille ſibimetipſi æternæ damnationis ſcripturus eſt ſententiam. Jam evidenter cognoſco me in ſinu meo enutriviſſe ſcorpionem, qui non niſi morſus & veneni toxi cum gratitudinis ergo mihi rependit. O quanto illi expedientius fuiſſet, vel nunquam in materno utero fuiſſe conceptum, vel ad videndam cœli lucem nunquam fuiſſe natum, quando in hunc mundum venit ad æternas Inferni tenebras condemnandus: *Et quidem filius hominis vadit, ſecundum quod definitum eſt. Veruntamen væ homini illi per quem tradetur. Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille* Porro comminationibus hiſce completis, diſcurſus ſui argumentum mutavit, ſuumque vultum ſerenitati priſtinæ reſtituens, totus benignus & affabilis ad alios ſeſe convertit, dulcique alloquio ortas inter illos de primatu contentiones ſuaviter compoſuit: *Facta eſt contentio inter eos quis eorum videretur eſſe maior.* Bonis inquam verbis elatiores, illorum animos compoſuit, ortaſque inter ipſos differentias ſeu controverſias compeſcuit, præmiorum & remunerationum haud vulgarium promisſiones de menſis ſplendidis, de thronis, dignitatibus & regnis adipiſcendis factas inſuper adjungendo. *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Luc. 22. Verum ô Domine & Redemptor meus ſcire à te velim, cur te adeo differentem, ne dicam partialem in hoc eventu erga tuos diſcipulos exhibueris? Cur te Judæ comminando, virgam exhibuiſtis rigidam & ſeveram (ignoſce curioſitati meæ] cum aliis vero diſcipulis dulciter procedis adhibendo admonitionum ramos vel gratiarum flores, vel tot favorum beneficiorumque fructus: Mihi quidem alium tibi agendi modum inter illos uſurpandum eſſe videretur, cum enim & hi ambitioſi, litigioſi, & ſuperbi ſint, & quod plus eſt, tu quoque unum ex illis te negaturum, alium vero infidelem futurum, omnes denique te turpiter derelicturos eſſe non neſcias, expedientius eſſe crederem, ſi illis quoque non minus quam Judæ te tanquam rigoroſam virgam exhiberes, utendo ſeveritate in illos, aſperis illos verbis increpando:

faſtus

faſtus namque ſuperbiæ, & ambitionis tumidum ſupercilium, non niſi fulmine proſternitur & ſuperatur. Aut ne ullius poſſis partialitatis redargui, Judam quoque maiori cum benevolentia & affabilitate aggredere, tuam quoque illi tametſi traditori tuo, exhibendo clementiam, hæc namque ſæpe numero in permovendis affectibus plus efficatiæ habet, quam ſeveritas: eaſdem illi propone promiſſiones, quis ſcit ſi forte inde à ſuo ſit malo propoſito detorquendus, manſvetudinis ramum illi adhibe, & fac ut in eus quoque gremium delabantur flores gratiarum & favorum tuorum dulciſſimi fructus. Opportune hic reminiſcor quod dum Alphonſus Rex Arragoniæ interrogaretur: [Cur in omnibus benevolus eſſet, & benefaceret nedum bonis, ſed etiam diſcolis? Regium quoddam reſponſum edidit dicendo. (Se juſtitia bonis gratum eſſe, malis autem clementia.) Otho Imperator Marcum Celſum blanditiis ſibi devinxit. Cinna per rigidas Cæſaris Auguſti comminationes protervior factus eſt, & in mortis ipſi machinandæ propoſito pertinacior: idem vero Auguſtus clementiâ & manſvetudine eundem præveniendo, & per collatos honores benevolum ſibi reddidit, fidumque ex paucis amicum. Cur igitur Chriſtus cum Juda ſimilem modum agendi non adhibet, maxime cum ipſe manſvetudine & pietate nemini alii cedat? Nequaquam id, ô Auditores, expediens fuiſſet; Judæ enim tanquam perverſo & ſcelerato minæ adhiberi debebant, fulminandæ erant in eum pœnæ: quia ſi quis ad eum convertendum uti voluiſſet pietate & manſvetudine, idem feciſſet, ac ſi ventum reti includere, aut arenæ ſuperædificare tentaſſet: Il'is qui ſunt ejulcemodi, neceſſario virga applicanda eſt, & flammæ ſeveritatis, comminandaque ad concipiendum terrorem gravia ſupplicia. Quo ad alios Apoſtolos autem, non erat opus tali rigore, ſolus enim nutus in manſvetudine eiſdem datus ſufficiebat præcipuè verò quando ad illum accedebat quoque promiſſio regni, hæc enim faciléeos poterat inducere ad deteſtandum quodvis malum & amplectandam virtutem, atque ideo illis ramum adhibuit floridum atque fructiferum beneficiorum & favorum. Hanc porro Salvatoris intentionem fuiſſe, apud ſacros Expoſitores videre licet præcipuè vero apud Modernum quendam ſuper Evangelium S. Matthæi doctiſſimè ſcribentem, quia ait: *Iniquus ut moveatur ad nequitiam deponendam non eſt amore virtutis ſed ſupplicii metu trahendus: Probus autem ut in iuſtitia perſiſtat, regno præmioque alliciendus & ſuadendus* Cum Unigenitus Dei Filius ſe non tantum à ſuis diſcipulis, verum etiam à copioſa quadam aliorum turba conſectari videret, quæ ut ſermones ipſius audiret à paternis habitationibns diſceſſerat, ſuaſque patrias Judææ, Jeruſalem, Tyri, Sidonis aliorumque locorum maris ripæ adjacentium dereliquerat, in ſpatioſo quodam campo conſtitutus monticulum quendam conſcendit, indeque ad populum in planitie conſtitutum egregium ſermonem pronuntiavit, in quo nitebatur quemlibet à vitiis divertere & pro animarum ſuarum ſalute ad Dei ſervitium perducere. Prius autem ad Apoſtolos alioſque diſcipulos ſuos ſe convertit, eoſque ad paupertatem patienter tolerandam in fervore ſpiritus eſt cohortatus, ob oculos eis proponendo præmium exinde obtinendum, dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quia veſtrum eſt regnum Dei*; Luc. 6. quaſi diceret, vos qui à victus parſimonia ſemper moleſtamini, & cum fame continuo confligitis, nolite dubitare, ô filii, venturum aliquando tempus in quo menſas continuo lautis cibis epuliſque exquiſitiſſimis præparatas & onuſtas reperietis: *Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini* Nec vos pigeat ô gens deſolata, oculos ſemper ex planctu habere turbidos, magnamque lacrymarum copiam ex iis quotidie manar, hæ namque lachrymarum ſtillæ in margaritas commutabuntur & uniones, oculi vero lacrymis madentes excellentiſſimo gloriæ lumine ſerenabuntur: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Vos cæteri qui cum mundanarum perſecutionum anguſtiis ſemper decertatis, æſtimari velut peripſema mundi & fabula vulgi, omnibus exoſi. ab om nibus contempti, illuſi, proſcripti, quibus nullus unquam dies naſcitur ſine ærumna, quibus ſol in montanis Orientis nunquam exoritur, quin priuſquam ad oecaſum perveniat vos à vulgo conculcari conſpiciat, quibus nulla in cœlo ſtella comparet quin velut funeſtus cometa vobis auguretur infelicia, vel infortunia ominetur, nolite ſub tantorum malorum pondere animis veſtris deſpondere, quin potius generoſos auſus veſtros conſervantes humanis perſecutionibus intrepido animo obviam pro-

Margin notes: Didac. Vega in Dom. 3. Pent. — Plut. Senec. l. 1. de cle. c. 9. — Sylveira l. 4. c. 12. qu. 25. nu. 107.

procedite ; veſtræ namque anguſtiæ recompenſabuntur præmiis gloriæ , veſtræ amaritudines per cæli dulcedines ; veſtra denique naufragia per comparata beatarum mercium lucra : *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm ſeparaverint vos , & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis. Gaudete & exultate in illa die , ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo.* Hunc ferè in modum vultu prorſus læto, & voce manſueta bonos alloquebatur ; poſtea autem converſus ad illos, qui eum greſſibus quidem ſequebantur, cùm tamen eum fugêre corde & vultu turbato, auſterâ voce, nec non minante dexterâ ſic ferè eſt allocutus, dicens: O vos infelices, qui divites eſtis bonorum omnium , quæ in fortunæ ærariis conſervantur , in mari quoque divitiarum natatis, nec non inter conſolationum flores deliciamini, væ enim vobis, quia invenietis in eis pœnarum ſpinas, & animæ ſubmerſionem in divitiarum veſtrarum pelago : *Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram,* futuras veſtras deploro calamitates; vobiſcum loquor, qui manducatis non ad vivendum , ſed vivitis ad manducandum; lineæ cogitationum veſtrarum aliud centrum non habent, quàm gulam & comeſſationem , & Epicurei facti , alium Deum non adoratis , quàm ventrem veſtrum: Veridicus ſum vobis vates , tametſi id ſiccis oculis dicere non poſſim , quòd fames tandem vos omnes conficiet intolerabilis : *Væ vobis, qui ſaturati eſtis , quia eſurietis* : Continere etiam me nequeo , quin vos quoque reprehendam , vos, inquam, qui dum vitæ veſtræ brevitatem fugaci tempore metiri debebatis, è contra tempus breve annorum veſtrorum riſu metimini, qui ex uno momento in aliud periclitatur , ne infelici viciſſitudine convertatur in planctum: *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Intellexiſtiſne hæc omnia ? Mores itaque & vitam veſtram mutate, ſecus enim infernus veſter erit , atque ſine ullo appellationis beneficio æternæ damnationis condemnabimini. Verùm ô Domine , ſermonem tuum interlocutione mea interrumpere non præſumpſi , utpote quem ob ejus ſuavitatem, & argumenti pondus, magno cum gaudio auſcultavi ; nunc verò terminato ſermone ſupplex à te peto , ut unicum menti meæ occurrens dubium mihi eripias. Cur obſecro diſcurſum tuum priùs tantâ cum benignitate & affabilitate exorſus es , his benedictiones impertiendo , illis promittendo regnum cælorum , mox ex improviſo in eodem ſermone transformatus es in rigidum ſeverumque cenſorem, pœnas & ſupplicia comminando? (Sed cur Dominus tam benignus & magnificus in largiendis benedictionibus , ſtatim tam rigidus in proferendo *Væ* contra divites , ſaturatos, & opulentos ? ) Modernus quidam hunc in modum reſpondet : ( Erat totus meus JESUS intentus , ut homines attraheret ad virtutes , & removeret à vitiis ; & ideo in juſtos benedictiones , & gaudia profert , in peccatores verò ſuppliciorum jacula retorquet , ut illis deterriti , ſuam pravam vitam deſerant.) Id quod omnino cum eo coincidit, quod vobis ab initio perſuadere ſum conatus, ſcilicet quòd Deus cum juſtis benignè & affabiliter procedat per præmia , cum perverſis autem peccatoribus rigidè & auſterè comminando ſupplicia ; niſi enim id faceret, oleum & operam perderet.

6. Divini honoris zelantiſſimus Propheta S. Elias, in regiam Achabi Regis liberè ingreditur, eique intrepido animo, & rotundo ore inſinuat , ſtatuiſſe ſe univerſum regnum ſuum terræ ſiccitate caſtigare , cæloque præcipere, ut veluti æneum factum ad fœcundandam terram pluviam non demittat , niſi ad ſuum illi præſcribendum imperium : *Dixit Dominus Deus Iſraël, in cujus conſpectu ſto ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba.* 3 Reg. 17. Res mira ! cælum Eliæ præcepto ad nutum obedivit ; nam aër nubibus mox ſolitum cum terra interdixit commercium, ne videlicet pluviarum tributum terræ penderet. Adeo ut terra conſumpto omni humoris alimento , ob humoris defectum omni ex parte, centum ora languens aperiret cælo ſupplicatura pro ſubminiſtrandis ſolitis aquæ ſubſidiis; terra adeo exaruerat , ut vomer ejus duritiei cedens , eam moleſtare non auderet ; unde ad recipiendum ſemen , nedum ad illud multiplicatum in meſſe reddendum fiebat inhabilis. Virtus germinativa ſua parturire virgulta non audebat, timens , ne ſiccitas eadem priùs extingueret , quàm ipſa vitam illis vegetativam participaſſet ; tota quoque florum populoſa familia brevi tempore ad terræ faciem evanuit ; arbores item in aridos evaſerant truncos , utpote quæ nullo veſtiebantur virore , neque

verno

verno tempore aliud in iis videbatur, quàm rudis & informis arborum cortex: flumina, quos aliàs tegere ſolebant, littoris lectos terræ & arenis liberos relinquebant, non jam amplius ad mare viſitandum, & ad pendendum illi dulcia aquarum tributa, lubrico decurrebant pede, ſed omnes rivi & torrentes puris, liquidis, & cryſtallinis undis ſuis vidui cernebantur, adeo ut ſiccitas hæc omnem planitiem, colles & campos miſerè flagellarit, ſterilitas falces in ſua ærugine otioſas eſſe coëgerit, boves quoque à jugo, agricolas autem à labore exemptos fecerit; Verùm quantò plus hæc diminuebatur, tantò magis famis vehementia creſcebat; nam ob alimoniæ defectum nata eſt univerſum animalibus pariter & hominibus inſupportabilis quædam annonæ caritas, eratque in tanta penuria nullius rei, præterquam miſeriarum maxima abundantia. Cùm igitur univerſum Achabi regnum ſub tot oppreſſionum ærumnis gemeret, Elias Propheta, Deo ita præcipiente, in Sarephtam conceſſit, ubi, ut ſuis conſuleret neceſſitatibus, pauperculam quandam precatus eſt viduam, ut panis ſubſidio ſibi ſuccurreret, *Affer mihi obſecro buccellam panis*; cùmque pia hæc mulier valde affligeretur, quòd obſtante paupertate ſua Eliæ votis reſpondere non poſſet, ſe protinus excuſavit, dicens: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho* Porro Elias Propheta ob hanc petitionis ſuæ repulſam minimè indignabatur, quin potiùs magnam dictæ viduæ farinæ & olei promiſit abundantiam, adeo ut indeficienter ex iis ſupereſſet, donec Deus cælo tenus pluviam demittere, clementer ſtatueret: *Hydria farinæ non deficiat, nec lecythus olei minuetur, uſque ad diem in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ.* Magno autem hic teneor ſciendi deſiderio, quam ob rem Elias adeo ſe erga Achab, & univerſum ejus regnum rigoroſum exhibuerit, quando clauſit cælum, pluvias prohibuit, terram ſterilem reddidit, adeò ut omnis creatura univerſali fame cruciata fuiſſe videatur, & tamen huic adeo inurbanæ mulieri fruſtulum panis Prophetæ deneganti, affabiliter locutus fuerit, benignum & beneficum ſe ei demonſtrarit, oleum & farinam pro ſuis neceſſitatibus largiter multiplicando? Cur ipſam panem ſibi negare audiens, duris verbis non increpavit, dicendo: Veniet tempus, ô mulier, quo te hanc panis micam mihi negaſſe, pœnitebit? Ecce enim ignem de cælo deſcendere, tuamque domum, imò teipſam & filium tuum igne conſumi jubebo? Doctè ad id Abulenſis quarto Reg. primo, quæſtione decima octava: Et Theodoretus ſecundo Reg. quæſtione quinquageſima ſecunda, ſermone trigeſimo, reſpondent, quòd tunc agebatur de reducendis ab idololatria ad veri Dei cultum Rege Achab impio, ejuſque populo ſcelerato, ideoque Eliam uſum eſſe rigore & aſperitate verborum, pariter & pœnarum. At verò quando de prædicta muliere ad opus pietatis exercendum inducenda agitur, opus eſt, ut omnis abſit ſeveritas, omniſque cum manſuetudine & benignitate cum eadem procedatur, exhibeatur ei vultus ſerenus & lætus, farina quoque & oleum multiplicetur eidem *Quando Propheta meus adducitur, ut idololatriam & contemptum Prophetarum intercludat & evellat, ignem & famem & rigores objicit: at dum ſe convertit, ut ad actus virtutum mulier inducatur, favores & benedictiones expandit & diffundit.* Unde S. Bernardinus ſerm. 30. dicere ſolebat, quòd *Benignitas attrahit, timor malos greſſus animæ, ne ulteriùs in crimina ruat, ſiſtit.*

7. David pſalmo 7. mirabiliter advertit, quòd illi, qui cor ſincerum, & voluntatem rectam habent, à Deo auxilium & favores in tribus præcipuè caſibus accipiant, dum ait: *Juſtum adjutorium meum à Domino, qui ſalvos fecit rectos corde*; nam ut obſervat Cardinalis Hugo in Pſalmo ſeptimo, numero undecimo, ſuccurrere nobis dignatur *ante pugnam, ut præparemur ad eam, ſumendo arma: In pugna, ut viriliter dimicemus & vincamus, poſt pugnam, ut adepto triumpho coronemur.* Poſtea verò David ulteriùs proſequitur, dicens: *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit*; vel ut legit Chryſoſt. ib. f. 19. col. 3. lib. 1 *Enſem ſuum acuet, arcum ſuum tetendit, & paravit illum*; quæ verba ab Athanaſio ibi. fol. 4. ita explicantur: *Ut ſeveriter puniat.* Et S. Joan. Chryſoſtomus aſſerit, quòd *gladius, arcus, & ſagitta, pœna eſt, &* *ſuppli-*

*ſupplicium, unde omnia per translationem & emphaſim dicta ſunt, ut per hac cuncta augeretur timor.* Verum ô David non ſpero quod tu tibi imagineris Deum inſtar noſtri variabilem eſſe; nunquit ipſummet dicentem audis: *Ego ſum Deus & non mutor?* Malach. 3. Quomodo igitur paulo ante dixiſti ipſum adeo benignum & promptum eſſe ad auxiliandum nobis, nec non ad impertiendum nobis favores ſollicitum, utpote qui ſalutem noſtram adeo ſeriò vult & deſiderat: nunc autem eum mihi repræſentas formidabilem, & veluti alterum Martem arcu ſuo ad evibrandum ſagittas, nec non enſe ſtricto ad nos occidendos armatum? Verum facilis eſt ad hoc reſponſio: nam à principio exprimebat qualitatem Dei erga bonos, quæ in hoc conſiſtit, quod cum bonis bene & benignè procedat: Poſtea verò demonſtrat ejus proprietatem erga malos in hoc conſiſtentem, quod cum illis rigidè in arcu, ſagittis, enſe, minis, terroribus atque ſuppliciis agat, ſecus enim facere, eſt aquam in cribro portare: *Vt virtutes ſectentur* [inquit Chryſoſtomus] *beneficia & Dei dona ante oculos ponit, ut animus illis excitetur, ut autem mala evitentur, ſupplicia obiicit, ut homines terreantur.*

8. Refert ſanctus Joannes Evangeliſta Deum ſe vidiſſe in magnifico gloriæ ſuæ throno conſidentem, per viginti quatuor gradus autem aſcendebatur, priuſquam quis ad ſedem pertingeret Principis Viginti quatuor Seniores candida byſſo veſtiti & opulentisſimis diadematibus coronati thronum illum ornatisſime circumſtabant: Eundem quoque thronum iris quædam cœleſtis viridi & purpureo colore permixta cingebat, quæ penitus eam intuenti parum à ſmaragdo differre videbatur. Ex oppoſito autem throni mare quoddam ſtagnabat adeo placidum & purum ut ipſum chryſtallinam quandam planitiem fuiſſe credidiſſes: Prodibant inde quatuor animalia ſingula ſex alas habentia plumis ceruleo aureoque colore tinctis & variegatis veſtita, in externa autem corporis ſuperficie veluti in ſcena quadam præter oculos nil videbatur Ehem quænam eſt hæc peregrina à S. Joanne viſa Dei noſtri ſpecies! Verùm præſtolemini nonnihil Auditores, quia in hac viſione ſeſe prodit neſcio quid aliud longe magis admirandum. Apoſtolus namque cum majori ſollicitudine figit oculum, ſuamque extendit auriculam, ſibique videre & audire videtur ſimul voces, fulgura, tonitrua è throni illius viſceribus egredientia: *Et de throno eius procedebant fulgura & voces, & tonitrua*, Apoc. 4. adeo ut inter tonitrua & fulgura mediæ audirentur voces? Quænam ſunt hæc paradoxa? S. Thomas Doctor Angelicus ait. Quod voces admonitionibus faciendis ſervierint: *Voces admonitionum*; fulgura autem ad homines terrendos: *Fulgura quæ terrent* tonitrua denique ad eoſdem per minas conſervandos: *Tonitrua arguitionum & comminationum.* Porro voces bonis ſerviebant, utpote illos cum ſuavitate admonentes, ut in virtutibus perſeverarent; Fulgura autem & tonitrua malos ſpectabant eoſdem per minas terrefaciendo & per flagellorum fulgura iiſdem imprimendo tremorem: *De throno procedunt voces in bonos, fulgura & tonitrua in peccatores*, inquit quidam Modernus. *Ioſeph Speranza de mortif punct.* 114.

9. Piæ illæ tres mulieres, quarum laus eſt in Evangelio, corpus Chriſti mortuum viſitaturæ· idemque conditura unguentis & aromatibus pretioſis, prout illis temporibus fieri conſveverat, ad ſepulchrum Chriſti ſe recipiunt. quo cum veniſſent, Angelum quendam repererunt, qui jam jam de cælo deſcenderat, ſedensque ſuper lapidem ſepulchri, tres illas Marias lætari & exultare juſſit, eò quòd earum Magiſter glorioſus, & immortalis reſurrexiſſet à mortuis. Porro Sacer Evangeliſta Matthæus lineamenta Angelici vultus nec non veſtium colorem accuratè obſervavit dicendo: Vultum retuliſſe ſimilitudinem fulguris, veſtes autem nivis in ſe candorem expresſiſſe: *Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, veſtimenta autem eius ſicut nix.* Matth 28. Veſtes inſtar nivis candidæ, vultus autem flammeus & igneus quaſi fulgur; nix congelat, fulgur ignem vibrat: [Quis non miretur [inquit Paulus de Palatio ibi. cap. 5.] ſimul in eodem contraria! An non contraria ſunt fulguris ignis, & frigiditas nivis:] Quam ob rem in uno eodemque Angelo fulgura ſociantur cum nivibus? Cur non potius in veſtimentis purpureis apparet ad demonſtrandum, quo erga Deum ardet, amorem, aut certè in veſtimentis viridibus ut ſpem noſtram, quam viror exprimit in nobis, excitaret? Præterea cur ſe non ſinit videri in vultu Joviali in ſignum lætitiæ, aut cur non inſtar ſolis ſplendeſcit?

Porrò quòd Evangeliſta candoris veſtium, & vultus fulgurantis dumtaxat meminerit, hujus ratio eſt, quia duo genera hominum eo tempore juxta ſepulchrum reperiebantur, Mariæ ſcilicet, & milites, propter illas itaq; in veſte nivea apparet: propter hos autem in aſpectu fulguris; & ratio eſt, ſecundùm Ludolphum de Saxonia: *quia facies ejus videbatur ignea, ad incutiendum timorem cuſtodibus, veſtimenta ejus ſicut nix, ad dandam conſolationem mulieribus.* Dion. quoque Carth. ait: *Vultum quaſi ſcintillantem atq; terribilem habuit ad perterrendum infideles cuſtodes*, atque ideo dicitur, quòd *exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Et veſtimenta alba ſicut nix, id eſt, clara ac ſplendida ad conſolandum fœminas religioſas.* At verò S. Gregorius præ cæteris mirabilius reſpondet, hancq; Scripturam ad præſens propoſitum vivaciter explicat, dum ait: *In fulgore terror timoris eſt, in nive autem blandimentum candoris, quia verò omnipotens Deus & terribilis eſt peccatoribus, & blandus juſtis, rectè teſtis Reſurrectionis Angelus, in fulgore vultus, & in candore habitus demonſtratur, ut de ipſa ſua ſpecie, & terreret reprobos, & mulceret pios.*

Ludolphus de Saxon. part. 1. cap. 71.
Dion. Car. in art. 45.
D. Gregor. Papa hom. de Paſcha. apud D. Thom. in Catena.

10. Verùm enimverò omittamus nunc juſtos benignitate & præmiorum promiſſione ad bonum ulteriùs allicere, & ſolùm de eo, cujus eſt major neceſſitas, diſcurramus, nimirum de terrendis per minarum, pœnarumque terrorem improbis, ut videamus, an poſſibile ſit illos per hoc medium à malo divertere, atque ad boni executionem diſponere, eò vel maximè, quòd ut ſcribit Chryſoſtomus in Pſalm. 7. *In Evangelio plura dicuntur de ſupplicio, quàm de regno, quia in iis qui minus ſentiunt, non tam bonorum promiſſio, quàm tormentorum metus adducit ad virtutem, & abducit à vitio.* Quòd ſi verò propoſitum mihi finem aſſecutus non fuero, ad minus ſaltem meo ſatisfeciſſe debito cenſebor, & qui boni ſunt, in bono magis confirmabuntur, magiſque accendentur ad progrediendum in via virtutum.

11. Ut igitur impii greſſus ſuos à ſemitis mali avertant, neque ad æterna præcipitia temerè & inſolenter currant, neceſſum erit eoſdem vi percuſſionum à malo detorquere ad bonum, ad eum modum, quo Chyrurgus vulneribus elephantiaſi affectis, media non lenia aut mediocria, ſed ferrum & ignem adhibet: *Aſperum medicamenti genus eſt, quando ferro & ignibus utimur: ſolent extremis tantùm malis extrema hæc adhiberi remedia;* inquit Eruditus ille. Moyſes aquarum egenus, petram non verbis aggreſſus eſt, ſed bis eandem virgâ percuſſit; ſimili modo, ſi ab oculis magni peccatoris, qui ſaxo durior eſt, aquam educere velis lachrymarum, virgæ ictus, id eſt, ſeveritas pœnarum adhiberi debet, non verò verborum affabilitas. Hippopotamus fluminis Nili piſcis, adeo duras ſquamas habet, ut (ſi Pictavienſi fidem adhibeamus) haſtis & venabulis omnino ſit impenetrabilis. Unde illarum regionum habitatores, ut illius duritiem vincant, hanc excogitarunt inventionem, quòd fuſtibus & malleis ferreis illum graviter percutiant, quibus ſolis vinci & capi poteſt: *Tanta duritia eſt, ut malleis ferreis perimatur, & nullo jaculo penetretur.* Tales ut plurimùm eſſe ſolent peccatores: hi enim ad lenes perſuaſionum puncturas magis indurantur & exacerbantur, atque ideo ferrea illos clava & malleo percutere, & aſperè & rigoroſè contra illos procedere debemus. Idipſum mehercle Phacoces intellexit, qui cùm ſeptem haberet filios, eorumque minimus Cartomes appellatus, ſupra modum diſſolutus, impius, & perditus juvenis eſſet, ſæpenumerò eum bonis, manſuetiſque verbis admonuit & corripuit; nullum autem ſe fructum facere videns, rigore & auſteritate illum aggredi decrevit; manibus itaque ejus poſt tergum vinctis, eum in propria perſona ad Artaxerxem adduxit, eundem graviter obteſtans, ut ſententiam in eum capitalem decerneret, utpote qui toties paterno prorſus affectu admonitus, vitam tamen & mores mutare nunquam voluiſſet; unde Artaxerxes obſtupefactus, optimum patrem monuit, caveret furiam, nec tanto cum rigore cum filio ſuo procederet; cui bonus ſenex prudenter reſpondit, huic perdito filio ſimiles benignè tractare, idem eſt, quòd fabricam ſuper arenam erigere, atque ideo immediatè ad pœnas & ſupplicia cum ejuſmodi procedendum eſt; ſecus enim nulla ab iis ſperari poteſt reſipiſcentia: *Terrore plectetur impius.* Exhorreſco, quoties reminiſcor reſolutionis illius à Theodoro Papa adverſus Pyrrhum Patriarcham Conſtantinopolitanum conceptæ: hic enim per univerſam Africam hæreſes ſeminabat; at perceptâ Heraclii morte, Romam ſe conferens, ad pedes Summi Pontificis proſtratus, veniam popoſcit, *non tamen ex animo, ſed ficte*, ut ait Platina, & impetravit; at verò,

Joan. Bapt. Vincen. c. 3.
*lect. 6. in Ioan. n. 40*
*Exod. 17.*
*Berchorius Pictav.*
*Alex Pellegr tit. [illegible] parad. 10. cap. 3.*
*Platina in vita Theodori Papæ fol. 44.*

prout ad ſimiles transgresſiones facilis erat, mox ut Româ diſceſſerat, Ravennam perveniens ad hæreſium ejuratarum vomitum rediit; quod cùm ad aures Summi Pontificis perveniſſet, congregatis cunctis Prælatis Romæ præſentibus ad ſepulchrum concesſit SS. Apoſtolorum & in poſtulatum atramentarium è calice vinum conſecratum ſeu Chriſti Jesu ſangvinem infudit, & cum eodem damnationis ſuæ ſententiam ſcripſit, declarando ipſum excommunicatum & corporis myſtici S. Eccleſiæ membrum putridum & præciſum. Porrò nemo hic ſibi ſummum hunc Pontificem veluti nimis rigidum, aut ejus ſententiam fulminatam tanquam nimis ſeveram *ſaltem quo ad modum* arguere præſumat, quia pro homine adeò impio nullus modus convenientior erat; neque enim ſimiles per manſuetudinem reſipiſcere ſolent. ſed potius deteriores in dies fieri, atque ideo ſucceſſor Petri excommunicationis gladium arripuit, eumque ſangvine Jesu Chriſti qui ſub ſpeciebus vini conſervatur condemnavit: *Pyrrhus cùm Roma diſcesſiſſet & Ravennam perveniſſet, ut canis ad vomitum ſuum reverſus eſt, quo Papa Theodorus comperto plenitudine convocata Eccleſia ad ſepulchrum Apoſtolorum accesſit, & divino calice expoſtulato ex vivifico ſanguine in atramentum ſtillavit, & ita propria manu depoſitionē Pyrrhi conſcripſit?* Quare perſuadere nobis voluit ſtultum eſſe, ſi quis cum perverſis hominibus benigne procedere velit: *Sed cũ malis male procedendum eſt.* Audite hac in re mirum quoddam prodigium.

*Baron. Annal. lit. 8. Anno Chriſti 648.*

12. Poſtquam Hebræi errorem illum, qui omnium aliorum genus generalisſimum fuit, commiſiſſent, id eſt, poſtquam Dei filio poſt longa tormenta amaram Crucem intuliſſent, ſeptennio circiter ante Jeroſolymæ deſtructionem, ut Joſephus Hebræus refert, cometes in ſpecie gladii cujuſdam ſupra civitatem apparuit, qui per integrum anni ſpatium inde non diſcesſit, quod velut ingens prodigium cunctis ſtuporem incusſit & formidinem. Præterea vir quidam incognitus omnibus in civitatem venit, qui per vicos & plateas obambulans velut novellus quidam Jonas alta voce exclamabat: *væ Ieroſolymis, væ Ieroſolymis.* Hac hiſtoria ſuppoſita difficultatem quandam mihi à vobis, ô Auditores, reſolvi depoſco: Quod ſi civitas illa de errore illo commiſſo pœnituiſſet, totoque corde à Deo culpæ hujus gravisſimæ veniam & miſericordiam poſtulaſſet, num Deum in preces illorum deſcenſurum fuiſſe exiſtimatis? Procul omni dubio. Cur igitur Deus illis non æque ac Ninivitis Prophetam aliquem mittit, qui illis prædicet pœnitentiam & veram Chriſti fidem, forte enim ab errore ſuo reſipuiſſent, & peracta pœnitentia vitam emendaſſent in melius? Fruſtra id ſperabatur, ſiquidem gens illa nimis perverſa erat, prædicationes vento fuiſſent traditæ, & ſine fructu factæ admonitiones; non igitur mittendus Propheta erat, ſed ad rigores & auſteritates applicanda manus, tales enim nonniſi cometæ, enſes, væ, minæ, ſupplicia, bella, obſidiones & deſolationes exſpectant: *Cum malis male procedendum eſt.*

*Ioſeph. lib. 7. de bello Iud. ca. 12.*

13. Videns Deus dilectum populum ſuum per Pharaonis impietatem crudelisſimè tractari, illius miſertus Moyſen tanquam Legatum ad impetrandam populo ſuo libertatem amandare decrevit. Verum ô Domine, tune Moyſen ad hoc officium eligendum eſſe cenſes? Credo utique probe tibi cognitas eſſe quæ ad Legatum requiruntur conditiones & qualitates, maxime ad eum qui mittendus eſt ad Pharaonem Regem adeò magnum, potentem, omnibusque regnis formidabilem. Quisquis enim ille futurus eſt, eloquens & facundus eſſe debet, quique impoſita ſibi negotia cum ea dexteritate & modo gerere & moderari noverit, ut Principem ad facile concedendas poſtulatas gratias inclinare posſit; fieri nequit quin aliquando loquentem Moyſen audieris & obſervaveris. Hic etenim lingvam habet ad omnia verba balbutientem & ceſpitantem, defectum hunc ſibi à natura congenitum libens fatetur, nunquid enim eum ſe hiſce verbis excuſantem audis? Exod. 4. & 7. *En incircumciſis labiis ego ſum, quomodo me audiet Pharao? Obſecro Domine, non ſum eloquens, impeditioris & tardioris lingvæ ego ſum, mitte quem miſſurus es.* Cur igitur hoc munus non potius viro alicui facundo & eloquentisſimo Oratori imponis? Num fortè tales tibi deſunt? mitte Aaronem ad hoc munus aptiorem & magis idoneũ. Nequaquam, inquit Deus, ſed volo ut Moyſes abeat defectum facundiæ, qui eſt in ipſo, virga ejus ſupplebit, abi igitur ô Moyſes, moxque ut in conſpectum Regis perveneris, virgam tuam Aaron porrige, qui illam in terram projiciet, ſubitò in ſerpentem commutandum: *Projice eam coram Pharaone, & vertetur in colubrum.* Vel ut S. Auguſtin. legit,

Et

Et eris draco, verùm, ô Domine, quiſnam eſt hic Legatos experiendi, & expediendi modus, cur linguam ejus non accommodas, ut expeditè loqui poſſit? Eloquentiam illi & modum impertire, gratiam & cor Pharaonis ſibi conciliandi & rapiendi: *Verba ligant homines*, virgæ, ſerpentes, dracones ad Legatos non pertinent. Verùm parvi facio (ita mihi Deum reſpondentem audire videor,) Moyſen eloquentem aut facundum eſſe, ſiquidem Pharaoni, & ejusdem farinæ hominibus eloquentiam dictionis, & verborum facundiam adhibere, ſtultum eſt; nam S. Auguſtinus in Exod optimè dicit, quòd Pharao *non flexibiliter conſentiebat, ſed inflexibiliter reſiſtebat*: quoad tales neceſſariò intermittenda ſunt verba, eorumque loco arripienda ſuppliciorum & pœnarum virga, nihil prodeſt, ſi illos per facundiam oratoris allicere, quos per ſerpentes oportet terrere: neque enim tales conveniendi ſunt per eloquentiam, ſed per dracones perterrendi. Idem ibid. lit. F. *Hic certe non miniſterio vocis erat opus, non videbatur velut ex neceſſitate datus Aaron propter gracilitatem vocis Moyſi, ſed virga erat projicienda, ut draco fieret*, ut ſcilicet ejus, qui per benignitatem & manſuetudinem ad reſipiſcentiam diſponi non poterat, per rigores & auſteritates experientia fieret. Sanctus Paulus Apoſtolus Tito dilecto diſcipulo ſuo Epiſtolam quandam ſcribit, in qua diverſa ipſi documenta & monita tradit, circa modum, quo fideles per ipſum inſtruendi ſunt, ut vivant in timore Dei, & cum omni diligentia & fidelitate Deo inſerviant, ſpeciatim autem ei præcipit, ut in occurrentibus graviorum tranſgreſſionum caſibus eos, quorum intereſt, clauſis oculis reprehendat, *in virga ferrea*, & in omni rigore, ſepoſitâ omni manſuetudine: *Increpa eos dure.* (Tit. 1.) Verùm, ô Paule, ubi eſt, ubi inquam eſt fraterna tua charitas? ſi gravi quodam martello ferreo vas aliquod aureum vel argenteum graviter percuſſeris, non illud concinnè accommodabis, ſed potius deſtrues penitus, ſi Tito præcipias, ut ſit ſeverus, ſuosque ſubditos in omni rigore dirigat, occaſionem illis præbebis, ut exaſperentur magis, & deteriores fiant: probè etiamnum recordor, quòd in aliis caſibus eum ad manſuetudinem cohortatus fueris; cur igitur nunc ad auſteritatem coërces? imò tu ipſe manſuetudinem in actu practico Galatis tuis exhibuiſti, dicens Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio*, [num inveniri poterunt verba majorem affectum exprimentia?] & ad Philippenſes 4. *Fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum, corona mea.* O per omnia amabiles titulos Paulo quodam verè dignos! Verum quidem eſt, quòd ſemel è penna lapſum fuerit præceptum Timotheo impoſitum, quod ei, ne reprehenſiones negligeret, ſeriò mandaſti; ſubitò autem idemmet præceptum moderatus es, dicendo, ut reprehenſiones ſuavitate & patientiâ condire curaret: 2. Timoth. 4 *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Cur igitur in præſenti vis, ut Titus omnes tranſgrediatur benignitatis & manſuetudinis terminos, & ut excandeſcens clauſis oculis, & rotundo ore, duriſque verbis eos aggrediatur, dicens: *Increpa eos dure.* Neique id Vobis, ô Auditores, mirum videatur, videamus obſecro, qualesnam ſint homines, quos Apoſtolus duris vult verbis reprehendi, & ſubitò elucebit Apoſtoli prudentia; dicit ergo Apoſtolus: *Sunt enim etiam multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maximè qui de circumciſione ſunt, quos oportet redargui, qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia. Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.* Cum his, ô Tite, non eſt procedendum placidè & manſuetè, hoc namque in vanum fiet, ſed *increpa eos dure.* Simili enim peſſimæ genti, quæ de beſtia magis, quàm de homine participat, baculus exhiberi debet, & loquendum eſt cum illis, ſicuti Moyſes ad petram locutus fuit: *Feralis enim conditionis homines, dure ſunt arguendi*, ut explicat Cajetanus fol. 306. col. 2. Et S. Anſelmus ibidem fol. 436. col. 1. lit. B. *Quam ob cauſam, id eſt, quia tales ſunt, increpa illos non molliter, ut ſoles, ſed dure, id eſt, dura eorum corda penetret increpatio dura.* Et Theophylactus ibid. 361. col. 1 finaliter concludit: *Acriter ſunt & duriùs increpandi, quando nil his prodeſſet benignitas.*

14. Enimverò cum ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus in vita pariter & morte ab invicem diviſi non fuerint, nec ego eoſdem in præſenti diſcurſu à ſe mutuis diſſociatos eſſe volo. Porro Petrus Apoſtolorum caput, Herodis Agrippæ Ariſtobuli filii juſſu & imperio in obſcurum quendam detruſus eſt carcerem, cùmque vitam ſuam Domino, ejuſque divino arbitrio totaliter ſubjeciſſet, dummodo ſoluta ſibi remaneret libertas; tandem ſicut membra corporis ferro vincta erant, ita quoque

ſenſus

ſenſus ſumno ligari exoptans, in terram ſomnum capturus ſeſe proſtravit, ac poſito in ſaxum cubito, gena vero in palmam manus locata, ſuaviter obdormivit: *Erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.* [Actor. 12.] Veruntamen Deus, qui eos quos amat, quique ſedulò ei ſerviunt, in miſeriarum culmine nunquam deſerit. Angelum quendam miſit, qui ſanctum ſeniculum è vinculis ferreis exſolveret, eumque foribus apertis, extra carcerem foras educeret. Spiritus itaque cœleſtis corporeo amictu indutus cryptam, ſeu carcerem ſubterraneum ingreſſus eſt, & ad eius adventum mox omnis evanuit obſcuritas, ac tandem miſero vincto appropinquans, eumq; ſomno ſopitum inveniens, pugnum ſtrinxit, eumque ut excitaret, forti percuſſione in latus ejus impegit: *Percuſſoque latere Petri excitavit eum dicens, ſurge velociter.* Profectò niſi S. Petrum ab Angelo liberandum eſſe ſcirem, eundem ejus liberatorem utique indiſcretionis arguerem, at verò ad evadendum carceris & vitæ periculum, fatendum eſt, Petrum non unam tantum, ſed vehementes percuſſiones ſuſtinere meritò debuiſſe, ex altera verò parte, cum Angelus ipſum per vocem compellando, vel veſtes ejus vellicando, vel per manum eum apprehendendo excitare non potuerit, indulgendum eſt ei merito, ſi eum in lateribus fortius corripuerit. Sic enim & Elias ab Angelo excitatus fuit: *Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi ſurge.* [3. Reg. 19.] His tamen omiſſis utpote ad litteram ſpectantibus myſterium hic latens contemplemur. Petrus in carcere refert peccatorem in manibus Satanæ culparum catenis vinctum dormientem, imò ſub peccati lethargo profundè ſepultum: Ad hunc excitandum & à ſomno divertendum nihil proficiunt vocationes divinæ aut cœleſtes inſpirationes, veſtis vellicationes, id eſt, immiſſa à Deo averſitas nihil efficit, ſi te manu apprehendat occaſionem tibi ultro præſentando deſerendi peccatum, expediendi te ab uſuris, fugiendi familiaritates inhoneſtas, in quibus tua conſiſtebat damnatio, tu inſolenter rides, & lupo ſimilem te exhibes, qui pilos, non verò mores mutat, atque ideo Angelicum procedendi modum tecum ſervare & ad te percutiendo venire, manum ſuppliciis immittendis admovere, clauſiſque oculis fuſtibus te delumbare oportet. Quod ſi alius gloriæ præmia tibi promittat, aut Paradiſum apertum videre te faciat, tu id totum in cantilenam vertis, nec alium inde elicis profectum quàm ſi lapidi hæc omnia dixiſſet. Vnde neceſſum eſt aſperiori modo tecum agere, flammarum ſcilicet pœnas tibi comminando, quæ in inferno te exſpectant, an autem ſufficiant, ſoli notum eſt Deo. Quod ut clarius fiat, ſequentem auſcultate Scripturæ paſſum: Epulo in acerba æternarum flammarum incendia præcipitatus, oculos in altum levans, cum peculiari amoris affectu Abrahamum Lazarum mendicum inter brachia amplectentem vidit, ac proinde neſcio qua fiducia ſubnixus, hunc ab eo favorem petere non dubitavit, ut ſcilicet Lazarum ad domum patris ſui mittere dignaretur, ut quinque fratres ſuperſtites de vita, quam agebant peſſimâ, reprehenderet, ut vel ſic paulatim reſipiſcentes æternæ damnationis evitarent ſententiam: *Pater Abraham rogo te ut mittas eum* [id eſt Lazarum] *in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Porrò hic quæritur, num Epulo exauditus fuerit, cui meritò reſpondendum eſſe negativè, quia *Damnati non exaudiuntur à Deo.* Nihilominus S. Petrus Chryſologus eum exauditum fuiſſe exiſtimat, quia *Lazarum pro Lazaro miſerit,* id eſt, loco Lazari mendici miſſus fuit Lazarus Marthæ & Magdalenæ frater. Et quidem quod ad propoſitam difficultatem attinet verum quidem eſſe agnoſco, bonum fuiſſe aliquem mittere, qui fratribus Epulonis prædicaret, non quod ille exaudire mereretur, ſed ad tentandum, num quinq; animæ illæ Deo comparari poſſent, veruntamen de eo duntaxat qui mittitur valde admiror, ſcilicet quod Lazarus pro Lazaro mittatur: Si enim indecens videbatur, mendicū à ſinûs Abrahæ conſolationibus ſequeſtrare, ad minus alius quiſpiam mitti poterat, qualium Deo centum pro uno ſemper præſto ſunt; Nunquid enim ad hoc apti fuiſſet Petrus, Andreas, Jacobus, Joannes, vel alius quiſpiam Apoſtolorum? Priuſquam hanc vobis difficultatem reſolvam, non pigeat aliam inſuper quam propoſiturus ſum difficultatem audire, ita tamen unam audite, ut ſimul alterius non obliviſcamini. Ante ſex dies Paſchæ Salvator noſter in domo Marthæ & Magdalenæ ad cœnam fuit invitatus: Lazarus autem ut ſcribit S. Ioannes 12. accumbentium menſæ unus erat: *Lazarus unus erat de circumſtantibus.* Martha occupata erat menſæ de omnibus neceſſariis proſpiciendo: Magdalena

autem

autem cum unguentis, quorum ſuavi ſuffitu totum cœnaculum fragrabat, Magiſtri ſui pedibus intenta erat; Lazarus denique epulas ſermone ſpirituali condiebat, me autem neſcio quænam devota impellit curioſitas inveſtigandi, de quonam fuerint ſubjecto locuti, & tandem deprehendi illud, non fuiſſe aliud, quàm quod S. Pater meus Auguſtinus ſerm. de verb. Dom. aſſignat; hic enim dicere non dubitat, quòd *multa de locis pœnalibus referebat convivantibus, & de triſtegis inferni*. Verùm dicat aliquis, hi ſunt diſcurſus, qui homini adimerent comedendi appetitum: de pœnis inferni ſermocinatione epulæ non condiuntur, ſed faſtidiuntur; unde diſcurſus hic in cœna habitus admodum fuiſſe videtur paradoxus: Etenim Aulus Gellius optimè monet, à menſa arcendos eſſe ſermones mœſtos, ſolóſque hilares & lætos eſſe miſcendos: *In convivio ſermones habendos cenſet non ſuper rebus anxiis aut tortuoſis, ſed qui jucunda, & cum quadam illecebra ac voluptate utiles, ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat & amœnius*. Et tamen Lazarus de pœnis, de igne, de inferno ſermocinatur. Nunquid cóvenientiùs fuiſſet, ſi Filius Dei de Beatorum gloria, vel beatitudine Paradiſi loqueretur; ut tamquæ materiæ commenſales ad opera animaſſent virtuoſa, ut illa, de quibus ſermo erat, acquirerent? Minimè gentium idipſum conveniebat, ac proinde Lazarus de pœnis, quas damnati in inferno patiuntur, loqui pergit. Et quidem, ſi hujus cauſam ſcire vultis, ad montem Calvariæ uſque abeamus. Sancti Patres enim multas in medium adducunt rationes, dum quærunt, unde latro, qui nullum unquam in vita ſua bonum opus præſtiterat, ad ſui converſionem permotus fuerit. Poſſem etenim integrum reſponſionum retexere catalogum, quas tamen brevitatis causâ prætereo, unicam ſolùm amplectens, quæ traditur ab Aranda, & Ludovico de Ponte, & confirmatur à S. Vincentio Ferrerio: hi enim omnes Scriptores dicunt, quòd Chriſto in cruce ſuſpenſo, terræ motus ſupervenerit, indeque Calvariæ mons apertus fuerit, Deus autem per aperturæ illius voraginem videri permiſerit infernum apertum, fumum item & flammas inde egredientes, unde latro totus terrefactus, auxilii petendi causâ ad Salvatorem recurrit, & converſus fuit: Aranda in l. Hiſpano de terra ſancta cap. 16. apud Lud. de Ponte lib. 5 in Cant. exhort. 39. §. 1. f. 357. col. 1 lit. C. *Fertur, Calvaria montem tempore Paſſionis Chriſti, cùm terra mota eſt, & petra ſciſſæ ſunt terra motu magno ſectum fuiſſe in duas partes, magna voragine intermedia relicta, quæ impœnitentem latronem à Chriſto Domino, & à bono latrone dividerent.* Non diſplicęqit, uti ſpero, ſi huic facto id, quod S. Vincentius Ferrerius ſerm. 1 fer. 4. ſcribit, ſubjunxero: *Hoc modo*, inquit, *ille latro invenit Paradiſum, qui ſemper tenuerat malam vitam, de quo dicit* Leo Papa, *quòd nunquam fecerat aliquod bonũ, ſed quando fuit circa portam inferni, quia jam erat crucifixus, & debebat mori, habuit tantam contritionem, quòd vix potuit formare verba: Domine, memento mei; Ecce, quomodo à caſu invenit Paradiſum, de quo nunquam curaverat, nec crediderat.* Terror itaque inferni ipſum fecit converti, bonam habere contritionem, & veram quandam peccatorũ ſuorũ agere pœnitentiam.

Aul. Gell. l. 13. noct. att. cap. 11. fol. 341.

15. Jam utique clariùs intelligetis, cur Lazarus reſuſcitatus Marthæ & Magdalenæ advocatis commenſalibus atque convivis, de pœnis, quas in inferno damnati patiuntur, fuſiùs locutus fuerit; utique enim Salvatore ſingulariter inſpirante id fecit, quia cùm Judas præſens adeſſet, totque repetitis vicibus, licèt caſſo prorſus irritóque conatu, beneficiis & favoribus ipſum quæſiviſſet convertere, tandem idipſum moliri voluit per acerbitates & rigores, prædicando ei pœnas atrociſſimas, quibus puniuntur damnati, niſi in hac vita ſeſe emendarint: *Multa de locis pœnalibus referebat convivantibus, & de triſtegis inferni*, inquit S. Auguſtinus, & rationem adducit Pater Joannes Madritenſis, dicens: *Præcipuè autem id Dominus curavit, propter Iudam proditorem, ut audito Lazaro de locis inferis verba faciente, animum mutaret.* Quòd ſi Abraham poſtulante Epulone ad ejus fratres Lazarum mendicum miſiſſet, nihil ille prædicare potuiſſet aliud, quàm de ſinus illius extrema felicitate, in quem ab Abraha ſumma cum charitate fuerat receptus, diſſerere illis tantùm potuiſſet de præmio, quo in cælis gaviſuri fuiſſent, ſi vitam ſuam rectè inſtituiſſent; hæc autem illos nec quicquam commoviſſent: nec mirum, quia cum ſimilibus perverſis hominibus non eſt utendum benevolentiâ, vel præmiorum promiſſione, ſed auſteritate & rigore opus eſt apud tales, applicanda eſt apud ſimiles manus ad ſupplicia, & comminandæ ſunt inferni gehennales flammæ; atque ideo *Lazarum pro Lazaro miſit*, qui ad vitam reſuſcitatus, ad obtinendam illorum con-

*D. Auguſt. ubi ſuprà.*

*Io. Madr. in Eccleſ. 3. cap. 21. & hom. 649. fol. 165. num. 7.*

converſionem, minas applicaſſet pœnarum & inferni, ut experiretur, num poſſibile foret, aliquem per recenſitos inferni dolores incuſſam formidinem atque terrorem elicere fructum: *Quare non miſit Lazarum mendicum? quia bonis egiſſet cum peccatoribus, nempe alliciendo eos gloria cæleſti & gaudiis ſinus Abrahami, & Lazarus reſuſcitatus non alio medio, quàm gehenna & igne inferni; ita fieri oportebat erant enim peccatores.* Porro Redemptor noſter non bene feciſſe videtur in hoc, quòd templum adeò furibundus ingreſſus, tantum erga ejuſdem templi prophanatores rigorem exhibuerit, flagellando, & expellendo eos inde, eorumq; pecunias unà cum nummulariorum menſis foràs projiciendo; potuiſſet enim priùs velut pius & manſuetus Dominus illos benigna quadam exhortatione commonere, donec tandem agnoviſſent exiguam, quam erga domum Dei gerebant, reverentiam, & quem per hoc committebant gravem errorem. Priuſquam ſe manifeſtaret leonem, agnellum ſeiis commonſtrare debebat Nequaquam ita fieri conveniebat, ad ſimile namque venenum aliud adhiberi non poteſt remedium, nec alius culter ad hanc carnem. Verùm dicetis fortaſſe: Hæc inſinuata acerbiora media ſuam nec in negotiatoribus Hebræis, nec in Juda proditore, nec in blaſphemante latrone, nec in Epulonis fratribus habuiſſe efficaciam Non inficior idipſum; de hac autem materia in ſecunda parte tractaturi ſumus, ſi tamen priùs bonis & benevolis verbis vos hortatus & deprecatus fuero, ut ex bono affectu & charitate aliquam pauperibus impertiamini eleemoſynam. Interea ad ſecundam partem me accingo.

## PARS SECUNDA.

16. PEccata noſtra majora aut graviora eſſe non poſſunt. Quænam etenim eſt lex illa, quæ præceptum à Deo nobis impoſitum, quod non quotidie prævaricemur, & contemnamus? Quodnam nobis à divina bonitate prohibetur peccatum, quod à nobis temerè non committatur? Hinc videtur, quòd Chriſtianus ſacra templa magis contemnat atque prophanet, quàm ab Hebræis factum fuerit: Ab his enim vendebantur & emebantur columbæ, oves & boves, qui ſacrificiis immolandis deſervire poterant; ab his autem animæ Dæmoni pro viliſſimo pretio divenduntur. Quodnam uſpiam in mundo ſcelus reperiri poteſt, cui homo non ſit fœdere junctus? Ab effectibus Philoſophus aliquis conjicere poſſet, iniquitate plena eſſe corda veſtra, terram ex ſanguine fumigare, ſanguine manus veſtras rubeſcere, voſque continuis immerſos obſcœnitatibus eſſe. Honor etenim Dei pedibus proteritur, & conculcatur; ſanctum ejus nomen blaſphematur quotidie, ejuſque Divinitas facta eſt omnibus nimiùm familiaris; avari inſatiabiles exiſtunt, invidiæ & odia ſemper magis augeſcunt, defecit charitas, apud pleroſque bona opera in contemptu habentur, virtus negligitur, innocentia perſecutionibus perſtringitur, adeo, ut cum Oſea 4. dici poſſit: *Audite verbum Domini, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ.* Cognoſcere vult Deus, qualis ſit vita veſtra, quales ſint mores veſtri, conſilia veſtra, cogitationes veſtræ; audite autem, quænam in nobis bona inveniat: *Non eſt veritas.* Quot hodie falſitates veritatis pallio obteguntur? ad hoc, ut mendacium veritatis colore tingatur, quot non fiunt perjuria? quot juramenta falſa non aſſeruntur? ob modicum item honoris, vel lucri intereſſe, quot non proferuntur horrendas hæreſes ſpirantes blaſphemiæ? *Non eſt miſericordia*, ait idem Propheta, pupilli namque depreſſi conſpiciuntur, derelicti orphani, viduæ omni prorſus deſtituuntur ſolatio, innocentes velut rei condemnantur; moriuntur præ neceſſitate mendici, extincta eſt in cordibus veſtris omnis charitas, nulla quæ in vobis non regnet, reperitur iniquitas: *Non eſt ſcientia Dei in terra, maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundarunt.* Ex hiſce autem diſſolutionibus quid tandem ſequetur? *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea.* Et tu nihilominus lamentaris & miraris, quòd mala te premant? Cur nos hodie bello, mox peſte & morte, tandem verò fame excruciari exiſtimaris? hæc enim flagella omnia intra paucos annos experti ſumus, & tamen dicit S. Pater noſter Auguſtinus: *Nec verbis flectimur, nec verberibus emendamur; peccati pœnam ſentimus, & peccati conſuetudinem non vitamus.* Extremam in nobis corporis & animæ experimur perniciem & interitum, & tamen in malo pertinaces ſumus: *Romanus orbis ruit*, dicebat ſanctus Hieronymus Epiſt. 3 ad Eliodor. *& tamen cervix noſtra erecta non flectitur.* Deus toties nobiſcum proceſſit in omni bonitate & manſuetudine, nec tamen quid-

quam

quam à nobis obtinere potuit; nunc igitur pœnas & flagella nobis intentat, & tamen huc-uſque nec reſipiſcentiam in nobis experitur, nec emendationem, & cum Propheta dici po-
Jerem. 5. teſt: *Percuſſiſti eos, & non doluerunt, attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam, indurave-runt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt re-verti.* Unde S. Cyprianus ait: *Ecce verba deſu-*
D. Cypr. tract. con. Demet. *per, & flagella non deſunt, trepidatio nulla, nulla formido eſt.* quòd ſi autem hæc media nequic-quam in te operentur, neque ad vitæ emenda-tionem tibi efficaciter perſuadendam ſuffici-unt, *actum eſt de te*, neque animam tuam in meliori conditione conſtitutam eſſe cenſeo, quam fuerit anima Judæ. De quo S. Matthæus loquens, dicit, quòd poſtquam ſuum vendidiſ-ſet Magiſtrum, hæc verba edixerit: *Tunc videns Judas qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet &c.* Porrò hæc dictio (damnatus,) ut inquit Orig. tract. 35 non refertur ad Chriſtũ, ſed ad Judam, ut ſenſus ſit: Tunc Judas ſe damnatum eſſe, a-nimadvertens, retulit triginta argenteos: *Videns Judas, quòd condemnatus eſt, ad ipſum Judam refertur. tunc enim ſenſit malum ſuum, & intel-lexit ſe condemnatum.* Verùm dicat aliquis, nunquid ſcimus, quòd quamdiu homo in hac mortali vita degit, ſemper divinæ gratiæ auxi-lio ſalvari poſſit? hanc autem Deus Judæ nun-quam negaturus fuiſſet, quomodo igitur à ſe-metipſo ante tempus condemnatur? Reſpon-deo quòd ex quo toties à Chriſto in cœna mo-nitus, & comminatoriis hiſce verbis perterritus:
Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 17. *Unus ex vobis tradet me, væ homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Ex vobis unus diabolus eſt:* ſe tamen minimè emendavit, mox inde ſe deſpe-ratum, & ad infernum condemnatum eſſe con-jecit: *Videns, quia damnatus eſſet, quia audiens melior factus non fuit, nec metu, nec beneficio, nec honore;* nam ſancti Patres, Chryſoſtomus hom. 44. in Joan. tom. 3 & Thomas Doctor Ange-licus 3. part. qu. 81. art. 2. dicunt, majus & evi-dentius damnationis ſignum haberi nequit, quam ad immiſſa cælitùs flagella, aut commo-nitiones, & minas inſenſibilem eſſe.

17. Rex Balthaſar omninò exterritus & conſternatus eſt, quando ei convivio regio ac-cumbenti, manus illa apparuit, quę in parietem ejus deſcribebat ſententiam. *Mane, Thecel, Pha-res* Unde Scriptura dicit: *Facies Regis commuta-ta eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur.* Porro Daniel ei Daniel. 5.
Scripturam iſtam in hunc ſenſum eſt interpre-tatus: *Mane, id eſt, numeravit Deus regnũ tuum, & complevit illud. Thecel, appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. Phares, diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Qui-bus verbis tres minæ, vel tres pœnæ exprimun-tur ſeveriſſimæ, quibus vix ulla à divinæ juſti-tiæ tribunali emanare ſeverior poteſt. Num au-tem Balthaſar illam alicujus æſtimavit? an for-tè reſipuit, vitamque ſuam peſſimam emenda-vit? Cogitate, ô Auditores, nulla in eo obſer-vari potuit, vitæ, morumque mutatio, haud ſe-cus, ac ſi Daniel petram allocutus fuiſſet. Etec-ce tibi Balthaſarem ſubitò expeditum & confe-ctum, utpote qui regnum, vitam, & animam pariter una nocte amiſit: *Eadem nocte interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldæus.* Unde ſanctus Theodoretus ibi de eo dixit: [Balthaſar iſte ni-hil inde percipit utilitatis, jure itaque juſtus Judex illum nullà venia dignum cenſuit] Por-rò S. Joannes Chryſoſtomus quoad eos, qui flagella Dei ſentire nolunt, hanc à plaga incu-rabili, quæ nec à medicamentis lenitivis, nec à corroſivis aliquam experitur utilitatem, ad-fert deſumptam ſimilitudinem, dicens: (quem-admodum incurabilia vulnera neque auſteris medicamentis cedunt, neque lenientibus; ita & anima ſemel captiva, ſi ſe peccato cuipiam obnoxiam fecerit, & conſiderare noluerit, quæ ſibi ſunt utilia, etiamſi quis innumera incutiet illius auribus, nihil proficiet, ſed qua-ſi mortuæ eſſent aures, nullam ex admonitio-ne ſuſcipit utilitatem, non quia non poteſt, ſed quia non vult) Hi igitur vulnera patiuntur immedicabilia, ſunt peccatores inemendabi-les; ſive enim Deus unguenta talibus adhibeat, ſive ferrum, ſive ſe per manſuetudinem tan-quam agnum, ſive velut leonem per auſteri-tatis ferocitatem ſe exhibeat, nihil obtinet, nihil efficit. Frænum itaque collo eorum in-jicere, eoſque ſuæ voluntati obſtinatæ relin-quere oportet, donec in æternæ damnationis & inferni ſe proturbent præcipitia, ut vel ſic qui modò ſupplicia illa evitare poſſunt, & ob-ſtinatè nolunt, alio tempore, quo illa declinare vellent, non poſſint. Enimverò verba illa ob-ſecro ponderemus, quæ Salvator noſter Apo-ſtolis ſuis dixit, circa modum, quo perverſi & re-probi puniendi erunt; dicit ergo Matt. 1 *Expe-dit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris.* Quibas verbis

ſignificat, ſe non tantùm velle, ut demergantur in profundum maris, verùm etiam, ut priùs lapis quidam molaris illis alligetur, ad hoc, ut poſtea in pœnis actualiter conſtituti & cruciati, inde egredi non valeant, tametſi vellent: *Non ſolùm in profundum maris peccator præcipitari jubetur, ſed etiam mola ad collum alligata, ne inde unquam ſubſiliat, & in apertas auras extrahatur* Franc Mend. tom. 2 lib. 1. c 8. in lib. Reg num. 22. ſect. 2. fol. 642. col. 1. nu. 2. lit. B.

18. Quando autem peccator poſt omnia hæc flagella perpeſſa ad æterna ſupplicia currere non deſinit, judicandum eſt omnino, illum quâvis beſtiâ deteriorem eſſe. Ad hoc propoſitum doctiſſimus Pater Philippus Diez pulchram quandam movet curioſitatem. Quærit enim, an ex omnibus creaturis, tam rationalibus, quàm irrationalibus, quæ in Arcam Noë ingreſſæ fuêre, ſingulæ poſt diluvium in eodem prorſus numero, quo ingreſſæ fuerant, an verò in minori, vel etiam in auctiori, magiſque multiplicatò fuerint egreſſæ. Quod quidem ad homines attinet, qui eandem intrarunt, certum eſt, horum octo fuiſſe, ſcilicet Noê, uxor ejus appellata Tetkitres, filii ejus Sem, Cham, & Japhet, & tres eorundem filiorum uxores, Noëla, Noêgla, & Pandora, ut ſcribit Beroſius, totidemque poſtea ceſſante diluvio ex Arca fuêre egreſſi; Et idem eſt, quoad cætera animalia; veruntamen quod ad hæc bruta animantia attinet, vehementiùs idipſum admiror; quia, ut idem Pater Diez ſcribit, tredecim in Arca menſibus ſubſtiterunt; ac proinde ſemper exiſtimaſſem, quòd in tanto tempore tandem aliquando generatura fuiſſent; ac proinde aliis in ea animalibus ſubnatis, in auctiori fuiſſent numero egreſſa, quàm primitùs illam intraverant! Veruntamen neutiquam ita accidit, quin totidem ex Arca egreſſa ſunt, quot illam intraverant. Hæ namque beſtiæ ex diluvio ad mundi caſtigationem cælitùs immiſſo, tanto fuerunt metu perculſæ, ut tredecim menſibus continentes fuerint, & naturales ſenſualitatis ſuæ impulſus refrænarint: *Licet quatuor viri ac totidem fœminæ ingreſſi in Arcam Noë illicq; annum ac menſem integrum incluſi ſint, non tamen plures exierunt, quàm fuerant ingreſſi; labor quippe ac tribulatio diluvii eos ab honeſtis etiam ac licitis matrimonii voluptatibus fecit abſtinere, & ſic nec conceperunt, nec pepererunt.* Et hoc quidem quoad creaturas rationales, poſtea verò de aliis animalibus ſequitur: *Et hoc magis penſandum eſt, quòd nec agnus, nec aliquod aliud animal in arca natum fuit, in toto illo tempore.* O igitur vos peccatores libidinoſi, qui ipſiſmet beſtiis beſtialiores eſtis, conſiderate idipſum, & confundamini. Quid ad hæc dicitis, qui parum à corvo ab arca emiſſo diſcrepatis? videtis, quòd Deus iratus vos flagellat nunc per pluvias, quæ agros diluunt & inundant, nunc per ſiccitatem, quæ terra exareſcens ſterilis efficitur, nunc per grandines & tempeſtates, quæ meſſem penitus diſſipant; eaque pœnarum diluvia Deus cælitùs vobis immittit, eò quòd corvo nequiores eſſe pertinaciter decreveritis. Verùm, ô Deum immortalem! Ecquid aliud de vobis dicere poſſum, niſi quòd beſtiis longè ſitis deteriores. Utique de vobis, qui nec Deum timetis, nec ejus flagella curatis, dici verè poteſt, quod in Proverbiis de veſtri ſimilibus ſcriptum reperitur: *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas.* Vos veras ſalutis ſemitas relinquitis, & ad inferni præcipitia toto corde inclinatis: *Qui lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Non ſolùm nulla ſuffunderis verecundia, nec pœnitentia aliqua moveris ob Deum Opt. Max. graviſſimè per te offenſum, verùm etiam de hoc apud alios, haud ſecus ac ſi Deo ſacrificium aliquod immolaſſes, vehementer gloriaris, teque jactitas; & quantò culpæ tuę ſunt graviores, tantò minùs ſupremę juſtitiæ vindictam metuis: *Quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum* Num fortè per alias vias progrederis, quàm quæ te ducunt ad ſcelera, hoſtilitates, vel ad proſtibula? O Deus immortalis! quòd ſi hiſce temporibus in templa deſcenderes, utique longè deteriores illius prophanatores in eo deprehenderes, quàm fuerint illi, quos hodie ex domo illa repellis & ejicis, quæ nulli alteri fini adhiberi debebat, quàm ut Deo in illa immolarentur orationum & holocauſtorum ſacrificia. Plus etenim Eccleſia tua per Chriſtianiſmum contemnitur & polluitur, quàm templum olim à populo Hebræo. Ubi nunc ſunt flagella tua, quando humana iniquitas impunè magis diſſimulatur, quàm unquam? Ne dubitetis, ô peccatores, Deus in vos graviter animadvertet, quando id minus futurum eſſe exiſtimatis; ſuo namque tempore futurum erit, ut credatis, quæ nunquam per experientiam comprobaſtis, & experiri cogamini, quæ nunquam credere voluiſtis.

*Beroſius ap Franc. Greg Venet tom 1. de hiſt ſac. ſect. 1. de Noë & diluvio, fol. 14 nu. 69.*

*Phil. Diez part. 2. fer. 4. poſt Domin. 1. Quadrag. fol 86. num. 26.*